



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,  
Africam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1619**

Cap. XVIII. De Ceilani insulae statu.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11108**

## CAPVT XVIII.

DE CEILANI INSVLAE  
statu.

**C**eilanus insula ditissima, ex opposito Commonori Promontorij sita est: cuius insulæ Dynasta quidam primarius, Regis filius natu grandior, anno circiter 1544. cùm Lusitanorum hortatu Christianus fieri decreuisset, ab impio Rege parente, cum alijs septingentis, est interemptus. Post eam cædem visæ sunt Cruces due, vna in cœlo ignea, altera in hiatu terræ, vbi patrata cædes erat: quarum hanc cùm barbari, ingesta sèpè terrâ, opprimere conarentur, eadem tamen semper emicuit. Quo prodigo complures sunt permoti: Regis autem filius natu minor, cum consanguineis aliquot & proceribus alijs, ad Christi ouile accessit, & Goam ad Lusitanos transiit, opem contra paternam fœ uitiam imploratus. Sed præclaros adolescentis conatus mors interueniens abruptus.

Anno 1548. Candenfis Rex, eadem in 1548.  
sula, Christi & Lusitanorum imperio se  
submisit, agente B. Francisco Xauerio.

Sunt aut in Ceilano insula Reguli diuersi, quorum alij sunt Christiani, cum suis

L 2 sub-

subditis, alij gentiles, aut Mahometani, cum quibus Lusitani ferè habent bella.

In ea insula duæ sunt arces seu opida Lusitanorum, gregiè munita, *Columbo & Salte*. In priore habent Patres Soc. Iesu Collegium, Columbense hinc dictum, cum VII. Residentijs, vt vocant, seu domicilijs minoribus illi annexis.

## CAPVT XIX.

DE CHRISTIANIS S. THOMÆ,  
in India Orientali.

**I**N regione, quam *Choromandel* vulgo nuncupant, sita est Meliapora (vt indigenæ loquuntur) vrbs copiosa ac frequens, quæ *S. Thomæ opidum* hodie Lusitani appellant, in ora Indiæ maritima Eoi lateris, Goano obiecti. Visitur hic templum *S. Thomæ* Apostoli per celebre, quod ipse ex Idolorum fano in veri Dei Basilicam conuertit, nō Christianorum modò peregrinorum, sed etiam Ethnicorum ac Barbarorum frequentia hodieque nobilem: vbi proximo in colle cœsus, & sepulturæ mandatus Apostolus traditur. Cernitur & hic faxum eiusdem Apostoli cruore respersum, quod triduo ante ferias Apostolicæ mortis, inter Missæ solennia rubescit, cum ipsum natura sua candidum sit,

&amp; san-